

bemus. Hoc est quod quaeritur, *An nullo modo Christianis licitum sit sanguine vesci?* Non est haec quaestio ex illarum censu, quae plus habent curiositatis, quam diligentiae, sed oppido Quaestoris in sacris literis pium studium & sedulas in versanda antiquitate manus commendat, cum identidem in sacris literis ejusmodi effata citra collationem historiae aliorumque locorum videantur proponi, quae neganti sententiae facem praeferant. Igitur de hac licet dicere, quod de similibus quaestionibus alicubi differit in-
tus *Casaubonus*: *Non negamus, vel maxime sobrios lectores in* Exercit. in
narrationibus Evangelistarum titubatos interdum, & in non- Ann. Ba-
nullis requisituros, quomodo inter se Evangelistae consentiant? Si ron. XVI.
c. 120.
autem illicitum est sanguine vesci secundum scripturarum ductum, quomodo hodierna Christianorum consuetudo excusabitur? Sed haec ad opposita pertinent inferius ventilanda. Videamus nunc ante omnia firmamenta sententiae afferentis, licite vesci Christianos sanguine. Et occurrit statim *primo* diversitas utriusque instrumenti Veteris & Novi; quod enim pertinet ad caeremonias illius, non potest obligare hujus fideles. Tale autem esse interdictum escarii sanguinis luculenter patet ex interdicti ratione & fundamento, quod erat usus sanctus in sacrificiis; ideo etiam adipis aequae ac sanguinis esus vetabatur, Levit. III. v. ult. VII. 24. 25. &c. crebriorem autem sanguinis quam adipis in interdicto fieri mentionem, causa est sanguinis in sacris prerogativa, adeo ut legibus caeremonialibus nondum peculiari forma constitutis in schola Patriarcharum Lex Noe data de sanguine non comedendo, Gen. IX. vigerit. Neque enim lex Noe proposita aliter obligabat universam ejus posteritatem, quam sub mandato mansionis in vera fide, & ita in legitimo usu sacrificiorum. Quod igitur est caeremoniale, Sacrificiis quam proprie alligatum, id tantum obligavit, vi legis positivae, priscos primi Testamenti fideles; Nam quod sub initium Novi instrumenti e consilio Apostolico caeremonialia quaedam observata sunt, id quoniam e consilio fuit, non fuit e praescripto strictae &